



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate  
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ  
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De  
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

**Ortega, Cristóbal de  
Lugduni, 1664**

Qvæst. IV. Vtrùm multiplicetur vnitas in Trinitate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)

entitatem formaliter est bonitas, & perfectio in diuinis. Pater: quia deficiente eo, quod perfectio non est formaliter, nequit formaliter deficere perfectio. Respondeo, admissio intellectum esse attributum, distinguendo maiorem. Deficiente potentia generatiua proxima deficeret perfectio formaliter, nego; deficiente potentia generatiua remota, & radicali deficeret formaliter perfectio, concedo. Et de radicali nego minorem: quia radicalis potentia generatiua essentia ipsa est. Et nego consequentiam. Verum quidem est deficiente intellectu, quouisve attributo, aut personalitate defecturam materialiter, & remota bonitatem, & perfectionem diuinam. Quia deficeret necessarium essentia, cui identificantur, quæque tota bonitas, & perfectio diuina est. Arque hoc solum probant plura testimonia Patrum dicentium apud Ruiz disput. 9. sect. 3. & 4. Patrem, etiam, at Deum, imò diuinitatem ipsam, imperfectam fore sine Filio.



### QVÆSTIO IV.

*Vtrum multiplicetur vnitas in Trinitate?*

Extrema entis passio, nempe vnitas quarto loco in Examen vocatur.

#### CERTAMEN I.

*Aliorum opiniones, atque ad decidendum notata.*

**N**onnulli apud disp. 27. sect. 3. n. 2. docent vnitatem transcendentem pro personarum numero non multiplicari in Trinitate, sed vnicam solum esse. Refertur pro hac sententia Scotus 1. dist. 24. q. vnic. & Argenna ibidem. Reliqui tamen Theologi in 1. d. sp. 24. q. 1. atque ad 1. partem q. 30. art. 3. tres vnitates admittunt quare oppositum temerarium reor. Addit tamen Ruiz ubi proxime n. 7. ita esse tres vnitates transcendentales, vt non sint tres vnitates prædicamentales, sed vnica tantum; quia tres vnitates personales, vt potest identificari cum vnitatem essentia, simul vna vnitas sunt. Sed certè, nec nomen vnitatis prædicamentalis, nec huius à transcendentali discrimen, nec discriminis rationem satis caleo nisi modo explicando, n. 3. Nam, licet verum sit personas inadæquate secundum essentiam sumptas vnum esse, tamen, si personalitatibus sua etiam personalis vnitas adfit, sicut in personis diuersæ absolute sunt, & non eadem personarum tres absolute vnitates personales admittendæ erunt. Confirmatur: quia in essentia admittitur absolute vnitas: ergo, & in personalitatibus admitti debet absolute diuersitas. Patet. Siquidem non magis absolute sunt vnum in essentia, quam tres in personis. Confirmatur secundo: quia non minus Pater est vnus, & non plures Patres, & personæ, quam Deus est vnus, seu vna essentia, & non plures: atqui vnitas ex Sancto Thom. & communi, imò ex ipso Ruiz est indiuisio in se, & diuisio à quouis alio: ergo personalitas, seu persona est vna, habetque vnitatem suam non minus, quam essentia: ac proinde tres personæ tres vnitates.

**2** Pro vera quæstionis decisione nota: vnitatem realem non sequi, aut comitari rationem entis metaphysici, seu realitatem, aut existentiam formaliter sumptam, sed solum, prout in statu realitatis res iacet, sicut vnitas formalis sequitur prædicata formalia quæcūq; sint, siue ens formaliter, siue nō ens sint. Ratio vtriusque est. Primi quidem: quia vnitas realis est rei indiuisio in se, & diuisio à quolibet alio independens ab intellectu, quouisque præcisione ipsius: sed hæc solum habet res in statu puro realitatis: ergo

vnitas realis sequitur rem, & entitatem in statu puro realitatis omni prorsus intellectu præcisione semota. Vnde vnitas realis nulla præter numerica datur: quia præcisione intellectus semota non datur nisi indiuisia. Quod autem vnitas formalis quamuis formalitatem præcisam, & si formaliter ens non sit, sequatur, facile suadetur. Quæuis enim formalitas, etiam præcisam ab entis prædicato, in illo præcisionis statu est indiuisa in se, & diuisa à quouis alia formalitate, fundatque negationem identitatis cum aliis formalitatibus in eo præcisionis statu possis, in quo vnitas, seu ratio vnius formaliter consistit, vt latius persequeremur controu. 6. Logicæ.

**3** Nota secundo cum Richard. 4. de Trinit. cap. 23. in. Deitatem seu essentiam diuinam secundum se & præcisam à personalitatibus non esse omnino singularizatam realiter, vel formaliter. Primum patet ex dictis: quia in eo statu præcisionis non habet statum realitatis: ac proinde neque vnitatem realem potest habere iuxta dicta n. 1. Secundum verò probat Richardus: quia, licet in ratione naturæ, singularis, & indiuisa Deitas sit, tamen communis est tribus personis realiter formaliter: ita vt eademmet realiter sit tres personæ; sicut homo realiter est Petrus, & Paulus; licet formaliter homo sit vna species, non plures. Itaque est vna singulariter in ratione naturæ, quia nequit multiplicari, seu esse plura indiuisa Deitatis; in quo ab speciebus creatis differt: cum autem adhuc sit aliis indiuisis, licet non naturæ, sed personarum communis, non habet singularitatem omnimodo singularem sed mixtam ex singularitate, & compunitate. Arque hoc fortasse volebat Ruiz dum supra aiebat: personalitates non afferre singularitates prædicamentales. Nam huiusmodi singularitas debet esse in linea naturæ, quam Deitas à se ipsa, non à personis habet.

#### CERTAMEN II.

*Vera quæstionis decisio.*

**1** Afferro primò in Trinitate esse absolute triplicem vnitatem realem, non tamen adeò strictam, & singularem, atque sint plures vnitates indiuiduorum creatorum. Primum est commune Doctorum, & quod facile probatur ex dictis: quia vnitas realis sequitur statum realitatis in ente quouis: atqui in ente idiuiso est triplex status realitatis omnino ab intellectu independens in tribus personis, vt fides docet: ergo in tribus personis est triplex vnitas realis. Confirmatur: quia verè, & realiter sunt tres personæ, ita vt quæque realiter sit indiuisa in se, & diuisa à quouis alia, fundans negationem identitatis cum alia: ergo sunt tres vnitates reales. Ad didi autem reales has vnitates singulares non esse adeò strictè diuersas, & tres, atque vnitates reales Petri & Pauli, aut aliorum indiuiduorum creatum: quia non fundant omnimodam diuisionem à quouis alia persona: cum simul fundet quæuis persona Trinitatis indiuisiōnem cum duabus aliis in natura.

**2** Dico secundo in Trinitate esse absolute triplicem vnitatem singularis formalis, & alia vnitas mixta ex singulari, & quasi specifica. Primum patet: quia quæuis personalitas præcisam vltimam diuisionem formalem, est indiuisa in se, & diuisa à quouis alia, tam personalitate quam essentia, vt constat in veriori opinione, quæ formaliter ex æquo personalitates ab essentia diuidit, vt dicemus disputatione octaua. Quod autem sit alia vnitas mixta ex singulari, & quasi specifica facile suadetur: quia eam natura præcisam, & secundum se sumpta habet. Etenim vnitas singularis formaliter vltimè claudit naturam, ne possint esse plures naturæ indiuiduæ, quod habet natura diuina secundum se: vnitas autem specifica relinquit naturam componibilem cum pluribus indiuisis ipsius; quod licet singularitas naturæ diuinæ non p. tiatur, patitur autem aliquid simile: nempe relinquitur illam componibilem cum pluribus personis.

in quibus claudatur: ac proinde unitatem formalem speciei emulatur.



### QVÆSTIO V.

*An pro personarum numero negatiua attributa multiplicentur in diuinis?*



Ve vsque egimus de prædicatis, quæ eus reale in sua tota latitudine acceptum comitantur. Iam de iis, quæ ens reale diuinum consequuntur, quæ Dei attributa à Theologis nominantur agendum est. Ea verò, licet positiua omnia sint (quia in Deo nihil negatiuum esse potest) nonnulla tamen melius nobis negatiuis nominibus explicantur: atque de vocum, quibus explicantur significatur, commodius fortè censentur: proindeque negatiua attributa nominantur. De positiuis cuiusmodi est omnipotentia, amor, cognitio, & similes, extra quæstionem etiam omnibus est non multiplicari magis, quam Deitatem ipsam, de negatiuis pluribus sunt difficultates nonnullæ. Et quidem dictum in superioribus est. Nunc autem restant breuiter examinanda infinitas, incredibilitas, immortalitas, incomprehensibilitas, ineffabilitas, multiplicentur necne in diuinis?

### CERTAMEN I.

*Non multiplicantur infinitas, & inuisibilitas in Trinitate.*

**O** Kam. 1. disput. 19. q. 1. ad 1. dub. Mai. q. 7. nic. circa med. Aureol. p. 2. art. 3. proposit. 2. Soar. 3. de Trinit. cap. 12. n. 7. docent tres personalitates esse tres infinitates secundum quid, non autem simpliciter: atque in hoc extremo reliqui Theologi conueniunt; in primo autem bonitatem secundum quid personalitatibus denegant, quare neque secundum quid esse tres infinitates in tribus personis docent Doctores citati q. 2. cert. 2. pro secunda sententia consentiente etiam Vasq. 1. p. disput. 12. cap. 7. n. 29. de relationibus, qua talibus, eius discursus procedit, quia nisi rursus tota relatiuorum infinitas ex parte termini sumi deberet: non autem apparet ex parte termini diuinæ relationis vnde eius infinitas sumi debeat. Sed in primis cum Vasquez in relatiuo personalitates constituat idem dicere de personalitatibus, qua talibus compellitur. Secundò cum terminus relationis Paternitatis, & Spiritus sancti Filij, & Spiritus Sancti Personæ, quæ visque earum infinita sit, faciliè ab Aduersariis assignari possent, vnde ex parte termini infinitas diuinis relationibus proveniat.

**D**ico primò personalitates secundum se, vt præcisè ab essentia non sunt infinitates, seu infinita secundum quid. Est Doctorum ferè omnium, quos nuper memorabamus. Probatur: quia infinitas diuina non est in magnitudine quantitatiua, vel intensiua, sed in essendo, vel bonitate, seu perfectione, in qua dicit insuper, interminationem, siue negationem termini: ergo in eo, in quo nullatenus est formaliter infinitas; atque personalitatibus secundum se, ac præcisè non adest formaliter esse, aut bonitas, seu perfectio, adhuc secundum quid, vt constat ex q. 1. & 3. ergo neque adest formaliter illis sic consideratis infinitas adhuc secundum quid. Nec refert personalitates adhuc in eo statu longè superare omnes substantias creatas etiam possibiles in ratione substantiarum: quod autem superat quiddam finitum in aliquo genere est, certè

in eo infinitum est, vt patet: ergo personalitas in ratione, seu genere personalitatis infinita in diuinis est: quare licet non absolute (quia ei deficit essentia bonitas, & perfectio: nève cogamur duplicem in persona infinitatem absolutam admittere, maiorem in persona, quam in essentia) certè secundum quid infinita. Negatur maior: quia cum secundum se, ac præcisè nec ens, nec bona formaliter sit, nec infinita, nec finita erit, nec terminus aptus comparationi in infinitate, vel finitate respectu substantiarum, aut personalitatis creatarum.

**3** Obiicit secundò. Personalitas præcisè ab essentia est incomprehensibilis ab intellectu creato; ergo, vt sic, est infinita. Patet consequentia: quia incomprehensibilitas non nisi ratione infinitatis competit Deo: ergo prædicato diuino, cui secundum se competit incomprehensibilitas, competit etiam secundum se infinitas. Confirmatur subsumptum. Quia vis intellectus creati est syncategorematicè infinita; quia nullus est, quo non sit perfectior alius possibilis: aut intelligibilis personalitatis maior est actu, quam tota vis syncategorematicè infinitorum intellectuum perfectiorum, & perfectiorum: ergo est intelligibilis personalitatum infinita. Respondet Scotus quod 5. vers. fin. s. ad primū dictorum, Personalitatem diuinam incomprehensibilem esse materialiter solum ratione essentia: ac proinde vt præcisè secundum se non esse incomprehensibilem, ex quo reliqua subtrunt. Infinitas in quantitate corporea nihil est, quod abstrahat à finitudine vel infinitudine: ergo neque in prædicatis diuinis ab altervtro abstrahetur: quare personalitates, si secundum se ac præcisè infinita non sunt, finitæ erunt, quod est absurdum. Nego consequentiam quia quantitas est magnitudo: at prædicata diuina plura magnitudo non sunt: quare nec materia apta finitati, vel infinitati. Ex iis autem sunt personalitates secundum se, ac præcisè sumptæ.

**4** Dico secundò. Quævis persona diuina simpliciter infinita est; non tamen tres personæ sunt tres infinitates sed vnica, & eadem quæ est persona quævis. Prior conclusionis pars probatur: quia quævis persona habet totam Dei bonitatem, & perfectionem illimitatam, quæ eadem est, quod magnitudo infinita, quia totam habent integritatem, & totalitatem diuini esse, quæ in essentia illimitata diuina est: ergo quævis persona est simpliciter infinita, vt priori parte conclusionis dicebatur. Inde autem secunda pars probatur est procliuus: quia, si tota cuiusvis personæ infinitas essentia illimitata totalitas est, cum vnica, & eadem sit in tribus personis, vnica, & eadem solum infinitas in eis erit non triplex, vt de bonitate, & perfectione arguebamus q. 3. cert. 5. Recole ibi argumenta, & cert. 6. obiectiones, & solutiones, iis, quæ hic obiici, responderique possunt omnino similes.

**5** Dico terciò. Vnica solum non multiplex inuisibilis est in Trinitate. Probatur ex 1. ad Timotheum 1. Regi seculorum immortalis, & inuisibilis. Ex quo Augustinus recitandus cert. 2. num. 2. tres inuisibiles negat in diuinis, & 1. ad Timoth. 6. Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest. Eadem veritas continetur. Idem autem Augustin. 2. contra Maximin. cap. 3. & 14. ac lib. 3. cap. 9. Athanas. q. 28. ad Antiochum, Chrysostr. 1. ad Timoth. 6. homil. 18. circ. medium quos certamine 2. n. 2. recitabimus Patrem, & Filium inuisibiles ratione diuinitatis esse aiunt: quæ sententia rationem conclusionis à priori confinet. Fulgent. verò rationem eandem supponit, dum ait loco recitando eodem numero, inuisibilitatem esse attributum commune. Est autem contra assertionem difficultas: quia, vel sumitur inuisibilitas oculis corporeis, & sic personalitas secundum se inuisibilis est: quare tres personalitates tres inuisibilitates erunt: imò spirituales creaturæ eo modo sunt inuisibiles: quare ea inuisibilitas Dei attributum non est. Vel sumitur oculis mentis, & sic absolute nulla est in diuinis inuisibilitas, cum Deum, & personas Beati videant. Quod si dicas inuisibilitatem oculis mentis, quæ Dei attributum est, intelligi viribus naturæ, seu extra ordinem gratiæ, aut in statu viæ, recurrit instantia nuper facta: nempe personalitatem quamvis iis etiam modis inuisibilem secundum se, ac præcisè sumptam esse.

6 Noster Ruiz disp. 28. sect. 4. n. 4. nonnullis ex his difficultatibus oppressus: vt se illis excusiat, docet inuisibilitatem, quæ singulare, & diuinum attributum est idem esse atque incomprehensibilitatem. Quia in re verè loquitur, sed præter rem. Patres enim vt Controuersia de attributis alendebam cum Vasquez & VVadingo incomprehensionem Dei pro eodem, atque non visionem Dei in se claram, & non stractiuam, & in alio vsurparunt semper. Quare, & incomprehensibilitatis nomine idem, quod inuisibilitatem clarè significarunt; sed quid inde vt euacuentur difficultates? solum euacuantur, si comprehendens, cuius impossibilitatem incomprehensibilitas importat, sit cognitio perfectior, quam visio clara Dei in se; quæ nimirum, vel Dei cognoscibilitatem exæquet, vel, qua nihil Dei lateat videntem; vt falsè ex Patribus nouiores Theologi comprehensionem suam definiunt. Atque neque hoc quidem modo conclusio à difficultatibus liberabitur, si admitatur personalitates secundum se bonitatem, entitatem, & infinitudinem secundum quid formaliter habere, vt docet Ruiz, atque esse principia processionum ad intra, & operationum ad extra. Sic enim dici poterit semper aliqui creatum, quod personalitatum sit, latere creatam quamuis cognitionem: atque ab hac non æquari cognoscibilitatem eorum. Quare, & secundum se præcisam, quamuis esse incomprehensibilem, ac proinde tres esse inuisibilitates in diuinis contra Patres: solum ergo in nobis principiis difficultates hæc euacuabitur, si inuisibilitas incomprehensionem sonet.

7 Inuisibilitas ergo à Patribus in diuinis cognita, & cuius vnitatis in Trinitate rationem reddunt duplicem habet sensum. Primus est de inuisibilitate oculis corporeis dum contra Anomæos disputant, & hoc sensu Dei solius attributum esse non volunt, cum planè rebus omnibus spiritualibus competat, sed tamen vnica esse in diuinis volunt, atque ratione essentia personis conuenire. Secundus de inuisibilitate etiam mentali per clarè cognitionem in statu viæ, atque per vires intellectus creati. Quam inuisibilitatem occasione erroris Anomæorum, vt eum longius ab Ecclesia eliminarent, Dei propriam, & vnica etiam in Trinitate, atque ratione essentia personis conuenientem asseruerunt. Sic autem explicanda alius eorum ratio est, vt vtroque sensu inuisibilitas sumatur formaliter postiuè: quia inuisibilitas negationum, & eorum, quæ non sunt, perfectio Deo digna esse non potest. Sic autem constat essentia solius esse. Quia hæc sola positium quid spirituale, atque immaterialiale est, personalitates autem secundum se formaliter, nec entis rationem habent, neque immaterialitatis, siue spiritualis rationem: vt certè docebimus. Inuisibilitatem pro incomprehensibilitate à Theologis inuenit sumptam fati constat ex dictis n. 3. & 6. in finem imponere, atque vnica esse. Inde etiam constat de inuisibilitate, quæ omnium sententia, incomprehensibilitatem comitatur.

## CERTAMEN II.

## Dereliquis attributis negatiuis.

1 Vnica solum increabilitas & immortalitas est in diuinis. Increabilitas sumitur pro improducibilitate seu infeasibilitate. Probatur: quia eo sunt personæ diuinæ improducibiles, & indefectibiles, quo sunt independentes ab alio in fieri, & conseruari; eo autem tales sunt quo sunt à se: ergo sunt increabiles, & immortales, quo sunt à se: at à se sunt, quia habent diuinum esse seu Deitatem quæ est ens à se: ergo sunt increabiles, & immortales personæ ratione Deitatis: sed hæc non multiplicatur, sed vnica solum est in Trinitate: ergo increabilitas, & immortalitas vnica est in Trinitate. Probatur secundò ex r. ad Timoth. Regi seculorum immortalis. Et cap. 6. Quia solus habet immortalitatem. Id autem, quod solum, &

singulare in Deo dicitur, Deo, quia Deus, & vnus est conuenit; non qua personæ, & multiplex, vt bene Aug. 2. contra Maximin. c. 3. & 4.

2 Rursum de simbolo ad Catechum. cap. 4. circa finem. Non audemus dicere tres Deos, nec tres omnipotentes, nec tres inuisibiles, nec tres immortales, sed vnum Deum de quo dicit Apostolus immortalis, & inuisibilis. Athanas. Dialog. 1. de sancta Trinitate contra Anomæ. post med. immortalitas est hypostasis Patris, & immortalitas est hypostasis Filij; nec tamen sunt due immortalitates. Et post pauca: Ita hypostasis est incorruptibilitas, & tamen est vna incorruptibilitas. Fulgent. de fide ad Petrum cap. 2. vers. fin. enumeratis propriis Filij hæc inter communia excipit: salua tamen æternitate, immensitate, immortalitate, incommunicabilitate, inuisibilitate Deitatis eius, quæ naturaliter, atque equaliter communia cum Deo Patre habet Filius. Concil. Hispal. 2. act. 3. med. Immortalitas Patris cum Filio communis est. Cum autem eadem sit, vt vidimus, de increabilitate ratio, licet de ea non adeò frequenter Patres loquantur eodem modo sentire de illa credendi sunt: vt videre est in Athanasio, qui in Symbolo ait: Non tres increatis, sed vnus increatus.

3 Immutabilitas, & impossibilitas vnica tantum est in diuinis, Impassibilitas Dei propria incapacitas est accidentis cuiusvis aduentitij, idemque prolius quod immutabilitas. Traditur conclusio à Fulgentio nuper recitato ab Isidoro 7. origin. seu Etymolog. cap. 1. circa mediis verbis: Immutabilis est, quia semper manet, & mutari nescit. Nec proficit quia perfectus est, nec deficit, quia æternus. Ac longè infra: Hæc igitur, quæ de Deo dicta sunt ad totam pertinent Trinitatem propter vniam, & coæternam substantiam. Cuius rationem sic edissero: quia qua ratione personæ perfectæ, & æternæ sunt conuenit illis non mutari in melius, aut deterius: quia, qua perfectæ sunt conuenit illis summa perfectio, qua verò æternæ ipsius tota simul possessio: atqui vtrumque habent ratione essentia, quæ vnica solum in diuinis est: ergo, & vnica solum in diuinis erit immutabilitas, & quod idem est: impassibilitas.

4 Dices. Paternitati, & Filiationi, & Spiritioni, quæ talibus competit non fieri, aut conseruari ab alio, aliquidve pati, nec solum ratione essentia: ergo præter commune habebunt propriam increabilitatem, immutabilitatem, seu impassibilitatem: ac proinde hæc omnia multiplicentur in Trinitate. Antecedens probatur: quia, etiã qua tales personalitates nequeunt produci proprie, & Patris personalitas adhuc impropre, & originariè produci non potest: incapacitas autem accidentium etiam, qua talium, videtur manifesta. Fateor in eorum opinione, qui personalitatibus rationem entis, & perfectionis, ac bonitatis deferunt, ægrè solui posse difficultatem; in nostris autem principiis facile nego antecedens: quia, quod ens formaliter non est neque ens à se formaliter esse potest. Insuper, cum ratione sui, & formaliter personalitas ens, & perfectio non sint, neque immutabiles, aut impossibiles esse possunt; imò si per impossibile essentia, seu natura alia, ac non diuinitas personalitatibus adiungeretur personæ creabiles, defectibiles, mutabiles, & passibiles forent; quæ secundum se, nec à se, nec ab alio, nec passibiles, & mutabiles, nec immutabiles, nec impassibiles sunt, sed abstrahunt, atque, vt alterum habeant, essentia conditionem, & identitatem expectant.

5 Vnica solum immaterialitas, & incorporeitas est in Trinitate. Est contra Ruiz disp. 28. sect. 4. Probatur, quia ratio immaterialitatis diuinæ non est pura negatio materialitatis; nihil enim purè negatiuum in Deo est, vt monebam ad quæstionis initium; sed est aliquid positium, nempe spiritualitas; atqui personalitatibus secundum se ac ratione sui spiritualitas non competit, sed ratione solius essentia, quæ vnica est in diuinis: ergo vnica solum immaterialitas, & incorporeitas est in Trinitate. Minor probatur: quia personalitas præcisæ est formalitas vltimò singularizans quasi physicè naturam diuinam spiritualem: ergo ipsa personalitas secundum se spiritua- lis non est. Probatur consequentia: quia singularitas na-  
tura.

tura, quam singularizat, prædicata non habet, sicuti neque differentia vlla contractiua, vel generis, vel speciei, eius prædicata habet, alioqui differentia, quæ essentia sua sunt rationes distinguendi, essent rationes conueniendi species, vel indiuidua, quæ distinguunt. Hinc Gabrieleiras, vel Michaelleiras, spiritualis formaliter non est, neque substantia, quia substantia spiritualis singularis differentia: sic igitur, & personalitas, quia singularitas naturæ diuinæ spiritualis ad personæ constitutionem est, ipsa spiritualis non est.

Quid dico. Vnica diuisibilitas summa, siue summa simplicitas est in diuinis. Dixi summam: quia omnem diuisibilitatem non solum excludit, siue in partes integrantes, siue essentielles, siue substantiales, siue subiecti & accidentis, vti ex dictis de immutabilitate, & impossibilitate constat; quia omnimodam perfectionem supponit, ac proinde naturam, in qua solum bonitas, & perfectio est; quare in Trinitate non magis, quam natura multiplicabitur.



## DISPUTATIO VII DE PERSONALITATVM ac relationum diuinarum numero, ac distinctione inter se se.



DISPUTATIONEM hanc octauæ de personarum constitutione præire rationi consentaneum fuit, siquidem nihil ibi statui poterat, nisi reali personalitatum & relationum distinctione, formalique earum ab essentia diuersitate fundatis.



### QVÆSTIO I.

*Sint-ne tres hyposthases, subsistentiæ, ac personalitates in Trinitate admittendæ?*



OT A hæc quæstio inter Catholicos de solo nomine esse potest. Reuocanda igitur in memoriam sunt, quæ diximus in Logica, controuersia de substantia, atque in hoc tomo disputatione proœmiali, nempe subsistentiam pro formali dicere perfectam in essendo, siue independentiam in sui existentia à coniunctione, seu vnione ad aliud, id est totalitatem, licet connotet substantialem naturam: sicut symitas nam; personalitatem verò non solum dicere esse per se physicè, id est in existentia physica, sed moraliter eam dominio totali suarum operationum. De connotato verò substantialem naturam rationalem, in qua solum eiusmodi dominium plenum esse potest. Hinc cum hyposthasis quandoque apud Patres, & Theologos suppositum seu subsistens significet, frequentius autem personam; quandoque etiam de formali primum dicit; frequentius autem dicit secundum.

### CERTAMEN I.

*Hyposthases plures aliquando male audiebant apud Patres, semper autem apud hereticos diuersis tamen de causis.*

1 **N**OMEN hyposthasis in diuinis multiplicatum initio malè apud Patres audiuit, atque hucusque ab hereticis præcis, & nouioribus exsibilatur; dispari tamen longè causa. Patres enim de vocis proprietate dubitantes, atque essentiam siue substantiam, significare censentes, multiplicari essentiam hyposthasis multiplicatione censebant: quare id, vt hereticum in diuinis audire perhorruerunt. Heretici verò vocis proprietatè percalescentes, atque ea voce errores suos profligari mentuèntes, ad eorum Patrum religionem prouocantes, id etiam ab Ecclesia curabant, vocisque nouitatem cauebantur: imò eandem litem receptissimè semper voci persona, non alio metu intendebant. Ceterum disceptata proœmiali ex vocis Etymologia, & vario antiquorum vtu satis ostendimus magna proprietate, cum vocem hyposthasis, tum vocem persona. In vulgari Catholicis significatione, iam pridem in Ecclesia fuisse receptam; ac tandem neque ab his Patribus, quibus initio Religionem iniecerat, in diuinis multiplicatam fuisse fastiditam. Id quod apertis eorundem testimoniis monstrare huius loci, & certaminis est.

2 Ex iis fuit aliquando Athanas. qui tamen in Græco exemplari sui symboli apud Genebrard. 3. de Trinit. 89. pro non confundentes personas. Et pro tota tres persone: hyposthases posuit. Licet Constantinopolitani pro person. Eodem pacto hyposthasim pro persona posuit tom. 2. Græco-Latino pag. 38. & Dialog. 2. de Sancta Trinitate contra Anomæum Col. 2. & post med. Dialog. 3. de Sancta Trinit. contra Macedon. post. med. ex Instituto probat, ac explicat discrimen inter hyposthasim, & vtiamsic, & tract. de definitionibus col. 3. vbi addit: Si quis ergo de Trinitate querat quot consistant naturas? respondeo vnã, hyposthases verò tres. Quod si quis de incarnationis dispensatione interroget, quot naturas consistare: respondeo duas. Etiam verò hyposthasim. Merito ergo Naz. or. 21. de laudibus Athanasij col. penult. post. numerum 49. de illo ait: Vtraque parte (dissidentium de hyposthasis significatione) leniter, & benignè accita, verborumque sententia diuidentur, & accuratè perpensa, postea quam concordēs reperit, nec quantum ad doctrinam villo modo inter se dissidentes, ita negotium transegit, vt nominum vsum concilijs rebus eos constringeret.

3 Ex eis etiam fuit Paulin. Thessalonic. qui teste Cæcilio Boreæ Episc. Epist. ad Cyrill. Alexand. tom. 1. Co. cil. Ephel. in tract. cap. 23. hyposthasim pro essentia intelligens solum, atque vnicam in diuinis agnoscebat. Tamen profess. fidei sub initium, quæ extat apud Epiphani. hæresi 77. med. propria acceptione vocis tribus subsistentis, seu hyposthasibus. Trinitatem contineri fateatur. Porro Narcentum quinquaginta Episcopos de voce hyposthasis Constantinopoli dissidentes concilias sic habet or. 52. ad ipsos sub med. numero 57. Quid igitur vobis hyposthases volunt, aut vobis persona? Nimirum tria esse, quæ diuidantur, non naturis, sed proprietatibus. Optimè. An fieri potest, vt quidam magis inter se concordent, atque idem dicant, quam cum insensunt, tamen si alioqui syllabis dissepent? Vide e qualem vobis pacificatorem me præbeam de littera ad mentem traducens. Atque orat. 30. in sancta lumina circa med. Proprietates siue hyposthases, si cui hoc v. verbum magis arri det, siue personas: neque enim de vocabulis dissidimus, quando syllabæ ad eandem sententiam ferent.

4 Eadem porò sententia probatur Ioanni Pape secundo Epist. ad Senator. quæ est liber de duabus naturis post med. sub nomine serm. de Epiphania, & sub init. ait: Christum vnã de tribus Sanctæ Trinitatis esse personam, siue subsistentiam, quam Græci hyposthasim dicunt. Hieronym. cui etiam initio ea vox suspecta fuit: tom. 9. Epist. 19. aliàs tom. 4.